



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Erotemata Ecclesiastica

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Cap. CLII. De Irregularitate secundum doctrinam Mæstirii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94604](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94604)

10. *Quar.* Quibus interdicta sit Ecclesiastica sepultura tempore Interdicti? *Resp.* Si interdictum est generale, locale, & personale, nullus potest sepeliri in loco sacro, nisi habeat speciale privilegium. *cap. Quod in te, de Penit. & Remiss. & d. cap. si Civitas.* Quod si locus particularis tantum sit interdictus, extra illum poterit quilibet Ecclesiasticam sepulturam habere, nisi causam dederit interdicto. Illi autem, qui personaliter sunt interdicti, non possunt in loco sacro sepeliri. *dict. cap. si Civitas, Maltius ubi supra num. 116.*

11. *Quar.* Quæ licita sint tempore Interdicti? *Resp.* Licetum esse pulsare, & recitare Salutationem Angelicam, benedicere Mensam, adorare Crucem in Parasceve, commendare animam moribundis, predicare, & docere doctrinam Christianam; actus jurisdictionis tam spirituales, quam temporales exercere; & alia consimilia, de quibus Hurtadus in tract. de Interdicto, diff. 11. & Maltius ead. disp. 13. num. 117.

12. *Quar.* Quas pœnas incurrant violentes Interdictum? *Resp.* Multas esse pœnas; nam Primò, ministrantes, & suscipientes Sacramenta prohibita peccant mortaliter. *Secundo*, committunt sacrilegium. *Tertiò*, Clerici ministrantes illa, vel celebrantes incurrunt in irregularitatem. *ex cap. Is cui, de Sent. Excommunicat. in 6.* Item peccant mortaliter recitantes publicè, & audientes Divina officia. Et laici cogentes clericos ad celebrandum in loco, vel tempore interdicto incurrunt in excommunicationem. *Clement. 2. de Sentent. Excommunicat. Sepelientes autem defunctos in loco sacro interdicto, pariter sunt excommunicati. Clement. 1. de Sepultur. Maltius num. 118.*

13. *Quar.* Quis possit infligere Interdictum? *Resp.* Omnis Superior Ecclesiasticus respectu suorum subditorum. *cap. Episcoporum, de Privileg. in 6.* sive Ordinarius, sive Delegatus. *cap. Sanè. 2. de Offic. deleg. intra tamen limites suæ Diocesis. cap. Cum inter, de Consuetud.*

14. *Quar.* Ob quas causas solitum sit infligere interdicta? *Resp.* Ob peccata gravia, quæ annexam habent contumaciam in delinquentibus, vel omnibus de communitate, vel principalibus ejusdem; licet reliqui culpa careant. *cap. si Sententia, de sentent. Excommunicat. in 6.*

15. *Quar.* Quæ forma sit servanda in fulminando Interdicto? *Resp.* Quod prius præcedat monitio; deinde si illa nihil proficiat, interdictum promulgetur verbis clavis in Scriptura redactis, ut certum sit ad quos, & ad quæ se extendat. Tandem notificetur, & intimerur, ut homines non possint de eo ignorantiam allegare. *Maltius dict. disp. 13. num. 120.*

16. *Quar.* Quis possit tollere Interdictum? *Resp.* Si est ab homine, & absque præfinitione temporis, debet ab eodem tolli, vel per relaxationem, vel per absolutionem. Si est à jure, vel est locale reservatum Papæ, & ab ipso tantum potest tolli. Vel non est reservatum, & à solo Episcopo potest relaxari.

Doct. Clericali Tom. II. Lib. VII.

Vel est interdictum personale nulli reservatum, & in hoc casu quilibet confessarius potest ab ipso absolvere, data satisfactione, vel præstita cautione, de satisfaciendo. *Maltius ibid. num. 121.*

17. *Quar.* An lato Interdicto cum hac clausula, *donec satisfaciatur*, opus sit absolutione post præstitam satisfactionem? *Resp.* Esse hinc inde opiniones; sed communior est, non esse opus alia absolutione. *Maltius ubi ante d. num. 121.*

18. *Quar.* Quæ sit forma absolutionis ab Interdicto? *Resp.* Nullam esse præscriptam formam; sed per quæcunque verba denotantia absolutionem absolvi posse. *Maltius d. disp. 13. num. 123.*

19. *Quar.* Quid sit cessatio à Divinis? *Resp.* Est quædam prohibitio ob mororem facta, ne in aliquo loco Divina officia celebrentur, & habet analogiam cum suspensione, & cum interdicto, sed non est verè censura Ecclesiastica, eò quia inobedientes non incurrunt irregularitatem, sed excommunicationem. *Clem. 1. de Sentent. Excommunicat. Maltius ibid. num. 124. & 125. ubi advertit, per cessationem à Divinis non esse prohibitum sepelire fideles in loco sacro, dummodo fiat sine recitatione Divinorum officiorum.*

20. *Quar.* An Interdictum impediatur per appellationem? *Resp.* Negativè quoad effectum suspensivum, quia debet statim observari; secus quo ad effectum devolutivum; quia de ejus justitia, vel injustitia poterit coram Superiore disputari. *cap. Ad hæc quoniam, de Appellat. Maltius d. num. 125. in fine.*

CAPUT CLII.

De Irregularitate secundum Doctrinam Maltii.

1. *Quar.* Quid sit Irregularitas? *Resp.* Est impedimentum Canonicum impediens ordinum susceptionem, vel eorum administrationem. Hinc patet, eam non esse censuram, sed inhabilitatem, ob decentiam servandam in promotione ad ordines, vel in eorum exercitio. *Maltius d. disp. 13. num. 127.*

2. *Quar.* Quotuplex sit Irregularitas? *Resp.* Est duplex; alia ex defectu, & alia ex delicto. *Maltius ubi ante num. 130.*

3. *Quar.* Quæ, & quot sint irregularitates ex delicto? *Resp.* Esse decem. Prima est, ob iteratum baptismum seriò, & scienter; & hæc afficit tam rebaptizantem, quam rebaptizatum. *cap. Ex litterarum. De Apostatis, & reiter. baptis.* Et procedit in sola renerata susceptione baptismi, non autem confirmationis; quia de confirmatione nullus canon loquitur; & nulla irregularitas incurritur, quæ non sit in jure expressa. *Secunda* est, ob violatam censuram in susceptione, vel in exercitio ordinum; idè Clericus excommunicatus, vel suspensus, vel interdictus, si ordines exerceat, sit irregularis. *cap. Si quis Episcopus 11. quest. 3. cap. Is, qui. De Sentent. Excommuni-*

N 2

nic.

nic. cap. Illorum. De Sentent. Excommunic. in 6. prout etiam si eos suscipiat cum sit excommunicatus; nam qui est suspensus, vel interdictus, & suscipit ordines etiam sacros non incurrit irregularitatem, ut ex Bonacina, & aliis DD. docet Maltius d. disp. 13. num. 146. in fine; eo quia non reperitur expressa in iure in hoc casu susceptionis ordinum, nisi si ordinetur excommunicatus. Tertia est, si quis ordinetur ab Episcopo excommunicato, suspensio, interdicto, vel hæretico denunciato. Quarta, si ordinetur per simoniam. Quinta, si recipiat ordines furtive, c. 1. & 2. ubi Gloss. de Eo, qui furtive ordin. susc. idest se introducendo inter ordinandos, licet non fuerit ab Episcopo examinatus, vel approbatus. Sexta, si Clericus exerceat solemniter actum ordinis, quem non habet. cap. 1. & 2. de Cleric. non ordinan. ut si Diaconus Missam celebret, vel Sacerdos ordines conferat; & multo magis si Laicus hæc facere præsumat. Quod autem hic dicitur de exercitio ordinum, non procedit in exercitio jurisdictionis, quam non habet; idem Sacerdos audiens confessiones sine jurisdictione, & absolvens, peccat quidem mortaliter, sed non incurrit irregularitatem. Maltius ubi supra num. 150. in fine. Septima irregularitas est ex delicto hæresis; quia omnes Hæretici, & Apostatae à fide sunt irregulares. cap. Qui in aliquod, cap. Presbyteros. dist. 5. sive sint Clerici, sive sint Laici, quibus addendi sunt fautores, receptatores, consilium, aut favorem dantes. cap. Statutum. 2. de Hæret. nec non hæreticorum filii, & descendentes usque ad secundam generationem; quamvis si veram fidem sint amplexi, & ab errore parentum recesserint, nisi ipsi parentes ante mortem fuerint cum Ecclesia reconciliati; tunc enim parentes remanent quidem irregulares, non autem filii, aut descendentes; & idem est de fautoribus antedictis, & eorum progenie. Si autem sola mater sit hæretica, irregularitas extenditur ad filios tantum, non autem ad nepotes. Porro Schismatici sine hæresi non incurrunt irregularitatem, sed alias penas. Octava est in Apostasia à Religione. cap. Fin. de Apostat. idem Regularis fugitivus non potest promoveri ad ordines. Nona est ob infamiam resultantem ex commissione delictorum, quibus de iure ea est annexa. cap. Infantes. 16. quest. 1. ubi hæc crimina recensentur, adulterium, incestus, raptus virginis, sodomia, veneficium, duellum, sacrilegium, simonia, perjurium in iudicio, & alia. Dummodo tamen delicta sint notoria, vel notorietate juris, cum quis est condemnatus à Iudice, vel notorietate facti, cum hoc est adeo publicum, ut nulla tergiversatione possit celari. Decima est ob homicidium, vel mutilationem membrorum; sive voluntarie factum, sive casualiter, quando debita diligentia non fuit adhibita, præcipue si dabat operam rei illicitæ. Clement. si Furiosus, de Homicid. & cap. ult. eod. tit. in 6. Quod si homicidium sit omnino involuntarium, & fuit adhibita diligentia, ne fieret, nulla incurritur irregularitas; secus si diligentia debita adhibita non fuit. cap. Dilectus. cap. Significasti, & cap. ad Audientiam, & cap. Fin. de Homicid. At si da-

bat operam rei illicitæ, quamvis adhibuerit diligentiam, si homicidium sequatur, fit irregularis. cap. Suscepimus, & cap. de Cetero, de Homicid. Quod multi intelligendum volunt, si opus illicitum aptum erat, de per se causare homicidium, ut verberare aliquem, ludere cum armis bellicis; secus autem si aliam rem illicitam committeret, ut adulterium; sed horum opinio respicitur à Maltio d. disp. 13. à num. 158. ubi fuse de hac materia; & num. 159. addens, quod incurritur hæc irregularitas non solum ab homicida, sed à cooperantibus quovis modo contentis in his verbis, Jussio, Consilium, Consensus, Palpo, Recusus, Participans, Mutus, Non obstant. Non manifestans. Et fundantur in cap. Notum sit. 2. q. 1. ubi dicitur, quod facientem, & consentientem par pena constringit. Et de supradictis omnibus decem irregularitatibus ex homicidio provenientibus videndus est attentè ipse Maltius d. disp. 13. q. 5. art. 3. & 4. videlicet à num. 143. usque ad num. 167. ubi doctè de eis disserit, plurimos casus examinando; qui in praxi solent sæpe occurrere.

4. Quar. Quæ, & quot sint Irregularitates provenientes ex defectu; Resp. Eas esse decem sequentes. Prima ex defectu animæ, & comprehendit Neophitos, in ætate adulta baptizatos. cap. Neophitos dist. 61. Lunaticos, Epilepticos, & perpetuo Amentes. Maltius dist. disp. 13. num. 168. Secunda ex defectu scientiæ; & est in illiteratis. cap. Illiteratos, dist. 36. Cencil. Trident. sess. 25. de Reform. cap. 4. Tertia est ex defectu corporis, scilicet vel ob deformitatem, ut in nanis, claudis, & gibbosis; vel ob debilitatem in aliquo membro principali. cap. 1. & seqq. dist. 25. & toto titulo Extr. de Corpor. vitiatis. Vel ob infirmitatem, ut est lepra, morbus gallicus, apoplexia, & alia arbitrium Episcopi. cap. Tu nos, de Cleric. agrotan. Vel ob duplicitem sexum, ut in Hermaphroditis, in quibus tamen, si prævaleat sexus masculinus, multi DD. concedunt, cessare irregularitatem. Maltius ubi ante num. 170. Sed de his, ut dictum est supra, vide meas Decisiones de Penitentia Decis. 43. Quarta est ex defectu natalium; ut in spuris, & illegitimis extra matrimonium natis, nisi sint dispensati, vel per subsequens matrimonium legitimati. cap. 1. & 2. & cap. Is, qui, de Filiis Presbyter. Aut in Religione professi; tunc enim possunt ad ordines promoveri, non autem ad Prælaturas. cap. Uti, ubi Glossa, & DD. de Filiis Presbyteror. Expositi autem infantes, nisi probeantur naturales, præsumuntur legitimi. cap. 1. de Infantib. expositis. Et Bulla Gregorii XIV. apud eundem Maltium ibidem num. 172. probans, quod in dubio semper quilibet est reputandus legitimus. Quinta est ex defectu ætatis. cap. ult. de Tempor. ordinat. Clem. unic. de ætate, & qual. Quod si quis ordinetur ante legitimam ætatem, non incurrit novam irregularitatem, sed tantum suspensionem, quæ cessat, ætate debita adveniente. Gloss. in cit. Clement. Sexta est ex defectu libertatis; servi enim prohibiti sunt ordinari. cap. 1. & 2. de Servis non ordinan. nisi à Dominis manumittantur. cap. Servorum; & seqq. dist. 54. & sub hac irregularitate com-

pre-

prehenduntur etiam obligati ad publica ratiocinia, ut Thesaurarii, & Depositarii aris publici, vel Curatores, & Tutores pupillorum, qui, nisi redditis rationibus, non sunt ordinandi. *cap. Unic. de Oblig. ad ratioc. Septima* est ex defectu lenitatis, amplectens omnes, qui cooperantur ad homicidium iustum, nempe Judices, Notarios, Accusatores, & Testes. *cap. 1. dist. 51. cap. 3. Ne Clerici, vel Monachi, cap. 3. de Homicid. in 6.* Item omnes pugnantes in bello aggressivo, quod sit iustum; nam si esset iniustum, irregularitas contraheretur non ex defectu lenitatis, sed ex homicidio voluntario, & sic ex delicto. In bello autem defensivo nulla incurritur irregularitas ab occidentibus hostes; est enim homicidium involuntarium, & ad defensionem propriæ vitæ. *Mastrius d. disput. 13. num. 163. & 164.* Item veniunt sub hac irregularitate Chirurghi, qui absciunt, vel urunt membra; non autem Medici Physici, qui debita diligentia curant infirmos. *cap. Ad aures, de Etate, & qualis.* *Mastrius* ubi ante *num. 167.* Octava irregularitas est ex defectu Sacramenti, resultante ex bigamia. *cap. 1. & seqq. de Bigam. non ordin.* idest illi, qui vel plures uxores habuerunt, vel unam viduam; ob divisionem enim carnis non potest representare Christum unicum Sponsum unius Ecclesie. In primo casu bigamia dicitur vera; in secundo interpretativa. *cap. Si quis Viduam, dist. 50.* Quod si quis post votum solemne castitatis contraheret matrimonium, etiam obtenta dispensatione, committeret bigamiam similitudinariam, & fieret Irregularis; & impedit ordines, etiam si bigamia quæcunque contracta sit ante Baptismum, à quo non purgatur, etsi purgetur irregularitas ex homicidio per ipsum, quia supponitur baptizatum ex lupo fieri Agnum; sed bigamus semper portat divisionem carnis suæ. *Mastrius ibid. num. 179.* Nona est irregularitas ex defectu bonæ famæ, sub qua inferuntur Historiones, Mimi, Comædi, & filii publicæ meretricis. *Mastrius eod. loco num. 180.* Et Decima est irregularitas ob publicam pœnitentiam. *cap. Placuit, & cap. Quicumque, dist. 50. cap. Penitentes, dist. 55.* Sed hæc recessit ab Aula, quia publica Pœnitentiæ non sunt amplius in usu, de quibus ego disserui in meis Decisionibus *de Eucharistia decis. 62. ubi num. 9.* probavi, prædictos publicos pœnitentes non potuisse ad ordines promoveri tanquam irregulares. Et horum plures gradus ostendi in meis Decisionibus *de Pœnitentia, decis. 18. num. 32.*

5. *Quer.* An fiat irregularis, qui cum moderamine inculpatae tutelæ occidit in vaforem ob defensionem bonorum temporalium? *Resp.* Negative: & idem est dicendum, si quis iniquum in vaforem occideret pro defensione pudicitiae, vel famæ, & honoris, quando aliud remedium non reperiret. *Mastrius d. disput. 13. num. 165.* ubi bene advertit, id non esse amplius asserendum in Clericis, & Religiosis ob propositionem 17. inter damnatas ab Alexandro Papa VII. die 24. Septembris 1665. Neque concedendum, ut laici possint occidere calumniatorem, vel perculsores fugientem,

ad evitandam ignominiam, attentata altera Propositione damnata, quæ hoc concedebat; ut in Propositionibus damnatis ab Innocentio XI. Anno 1679. *Præpos. 30.*

6. *Quer.* An incurrat irregularitatem clericus adulter, si ob suam necessariam defensionem occidat maritum adulteræ? *Resp.* Affirmative, quia dabat operam rei illicitæ; idè licet non intendebat homicidium facere; tamen illud faciendo evadit irregularis. *Mastrius ead. disput. 13. num. 158. & num. 166.*

7. *Quer.* Quot modis tollatur Irregularitas? *Resp.* Eam tolli quatuor modis. *Primo* per Baptismum, intelligendo de Irregularitatibus ex delicto: nam illæ ex defectu, prout etiam illa ex bigamia, durant quousque tollantur ipsi defectus. *Secundo* per Professionem Religiosam; scilicet quod ad ordines, non autem quod ad Dignitates, & Prælaturas. *Tertio* per remotionem causæ, ut in defectu ætatis adveniente legitima ætate; vel in obligato ad publica ratiocinia post rationes redditas. Et *Quarto* per legitimam dispensationem; cujus forma est, *Ego dispenso tecum in irregularitate; quam, vel quas, ob hanc, vel illam culpam incurristi.* *Mastr. dist. disput. 13. num. 181.*

8. *Quer.* Apud quem relideat potestas dispensandi ab Irregularitatibus? *Resp.* Apud Summum Pontificem in quibuscunque casibus; & apud Episcopos in casibus à jure iisdem permisis. *cap. Sunt quidem dist. 25. cap. Significasti, De Elect. cap. At si clerici. De Judicis. & cap. Cum illorum, De Sentent. Excommunicat.*

9. *Quer.* Qui sint casus, in quibus jus Canonicum permittit Episcopis facultatem dispensandi super Irregularitatibus? *Resp.* Concilium Tridentinum *sess. 24. cap. 6. d. Reform.* concedit Episcopis, ut possint dispensare in omnibus irregularitatibus provenientes ex delicto occulto; (ea excepta, quæ oritur ex homicidio voluntario; ac etiam iis, quæ ad forum contentiosum pervenerunt) cum suis subditis, & in tua Diocesi. *Mastrius dist. disput. 13. num. 182.*

10. *Quer.* An Patriarchæ, vel Archiepiscopi possint dispensare super Irregularitatibus subditorum suorum suffraganeorum? *Resp.* Negative, nisi in Visitatione, vel in gradu appellationis. *Mastrius num. 182. & ibi Bonacina, & Suarez.*

11. *Quer.* Quando delictum dicatur occultum, ad effectum ut Episcopus possit dispensare ab irregularitate? *Resp.* Quod delictum dicitur occultum duobus modis. *Uno*, quando nulli sint testes, à quibus possit probari. *Altero*, quando sunt quidem testes, quibus probaretur; sed quia non est deductum, seu denunciatum ad forum contentiosum, remanet sub silentio. In his duobus casibus Episcopus potest dispensare ab irregularitate. Exempli gratia, si Sacerdos sit excommunicatus, & celebret Missam, adstantes autem nihil sciant de excommunicatione, delictum est occultum primo modo; quod si quatuor, vel quinque sciant excommunicatum esse, sed taceant, est occultum secundo modo, & in utroque irregularitas contracta ab eodem Sacerdote est dispensabilis ab Episcopo; qui è converso dispensare non potest, quando delictum factum

est notorium, manifestum, vel famosum. *Mastr. dict. disp. 13. num. 183.*

12. *Quar.* Quando, & quomodo delictum censendum sit notorium, manifestum, & famosum? *Resp.* Notorium censi illud, quod est notum vel confessione Rei in iudicio; vel sententia Iudicis lata, vel evidentia facti cogniti à maiori parte viciniae. *Manifestum* dicitur, de quo est fama in maiori parte viciniae orta à scientibus illud. *Famosum* vocatur, quando de eo est fama in maiori parte viciniae, non tamen ex certa scientia; sed ex indiciis, & praesumptionibus. Ita Hurtadus de Irregul. diff. 20. & alii apud Mastrium *dict. num. 183.*

13. *Quar.* An Episcopus possit dispensare ab irregularitate contracta ex homicidio occulto, non voluntario, sed casuali? *Resp.* Affirmative, quia Concilium Tridentinum excipit illam provenientem ex solo homicidio voluntario. Mastrius, alios Theologos allegans *dict. disp. 13. num. 184.* ubi subiungit, quod poterit etiam dispensare in homicidio, in quo non fuit servatum moderamen inculpatæ tutelæ, quando factum fuit ad defensionem propriæ vitæ, quia non est voluntarium.

14. *Quar.* Quando delictum, ex quo oritur Irregularitas, deductum est ad forum contentiosum, sed reus fuit absolutus ex defectu probationum, an in hoc casu Episcopus possit cum eo dispensare? *Resp.* Affirmative, quia quando est à Iudice dimissus absque condemnatione, idem est, ac si non fuisset vocatus ad iudicium. DD. apud Mastrium *ibidem dict. num. 184.* Quod si fuisset condemnatus, tunc Episcopus non posset amplius dispensare; quia delictum factum est publicum. Mastrius *ibidem num. 185.* ubi refutat Sanchez, & alios contrarium opinantes.

15. *Quar.* An Episcopus possit dispensare ab irregularitate proveniente ob mutilationem occultam alicujus membri? *Resp.* Affirmative; quia Concil. Trident. prohibet tantum illam, quæ nascitur ex homicidio voluntario etiam occulto. Et ita declarasse Sacram Congregationem Cardinalium, notat Mastrius *ibi num. 186.*

16. *Quar.* An Prælati Regulares possint absolvere suos subditos ab irregularitatibus quibuscunque? *Resp.* Affirmative, dummodo proveniant ex delictis; & hoc ob Privilegia Clem. IV. Bonifacii IX. & Eugenii IV. Mastrius ubi supra *dict. num. 186.* Sed videtur intelligendus, exceptis irregularitatibus ortis ex homicidio voluntario, ex mutilatione membrorum, & ex Bigamia, ut disputando concludit Lezana in Summa tom. 1. cap. 18. num. 4. & tom. 3. verb. Abortus num. 14. & verb. Irregularitas num. 72. Quamvis contrarium doceat Bordonus part. 1. resol. 13. num. 15. ubi defendit, Prælatos Regulares, virtute Privilegiorum posse absolvere etiam ab irregularitate ob homicidium voluntarium injustum, si sit occultum; & ob casuale, quamvis sit publicum. Sed Bordonus non adhaeret in Decisionibus meis de Pœnitentia *Decis. 46. num. 15.* ubi Studiosum remitto.

17. *Quar.* An Episcopus possit dispensare ab irregularitate, orta ex hæresi occulta? *Resp.* Negative, quia ubi Episcopus non potest absolvere, ibi multo minus potest dispensare. *cap. Cum illorum. De Sentent. Excommunicat.* Sed per Bullam in Cœna Domini prohibitum est Episcopis absolvere ab hæresi quamvis occulta; ut est securior opinio DD. quo cumulat Barbosa ad Concil. Trident. sess. 24. de Reform. c. 6. num. 52. Et ego dixi de Pœnit. *decis. 45. num. 6.*

18. *Quar.* An Episcopus dispensare possit super irregularitatibus provenientibus ex defectu? *Resp.* Quod Episcopus dispensat tantummodo in irregularitate ob defectum naturalium ad ordines minores, & beneficium simplex. *cap. 1. De Filiis Presbyter. in 6.* Item in illa ex Bigamia similitudinaria tantum etiam pro Sacris Ordinibus, ex *cap. Sanè. De Clericis conjug. & cap. 1. Qui Clerici, vel vocantes.* At ex Bigamia vera, atque interpretativa solus Papa potest dispensare, prout in omnibus aliis irregularitatibus provenientibus ex defectibus animæ, corporis, ætatis, lenitatis, & infamiae; ut dissert Mastrius *dict. disp. 13. à num. 188. usque in finem.* Est tamen verum, quod in defectibus corporis, vel scientiæ Episcopus potest arbitrari; & quando defectus non sit nimis, declarare valet, cum non obstare, & sic tacite dispensando, habet jus promovendi defectuosum ad ordines, seu beneficia simplicia. Pax Jordanus tom. 1. lib. 3. tit. 6. de Sacrament. Ordinis. num. 228. & tom. 2. lib. 9. tit. 1. de Dispensationibus num. 201.

19. *Quar.* An Confessarii Regulares possint dispensare super Irregularitatibus contractis à suis pœnitentibus? *Resp.* Affirmative virtute suorum Privilegiorum. DD. à me allegati de Pœnitentia *Decis. 46. num. 20.* dummodo delicta sint occulta, & exceptis homicidio voluntario, mutilatione membrorum, & Bigamia, ut ibi; sed pro foro conscientiae tantum.

CAPUT CLIII.

De Depositione, seu Degradatione.

1. *Quar.* Quid sit Depositio, seu Degradatio? *Resp.* Est perpetua remotio ab Ordinibus, vel Altaris Ministerio. Et differt à censuris, & irregularitate; quia sunt omnes temporales, & terminant per abolitionem, vel dispensationem; hæc autem est perpetua, Diaz in Pract. cap. 43. Barbosa de Offic. & Potest. Episcop. allegat. 110. num. 1.

2. *Quar.* Quotuplex sit depositio, seu degradatio? *Resp.* Est duplex, Verbalis, & Actualis. Scaccia de Iudiciis lib. 1. cap. 11. §. 71. Verbalis est illa, quæ ore tenus profertur contra Clericum, removendo ipsum ab Altaris ministerio; & hæc proprie dicitur depositio. *cap. Sacerdos. 81. dist. cap. 2. de Pœnit. in 6. Clarus in §. fin. quasit. 74.* Et per eam non amittitur privilegium canonis, vel fori. Barbosa